



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 203. Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam. v. 37.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

Domine Iesu video exemplum in te paupertatis veræ, eo quod nil tibi servare voluisti temporalium sive in vita sive in morte, sed ne quidem de vestibus disponere per testamentum, ut verè paupertatem doceres & amplecti consilium Spiritus sancti: te igitur, per hanc tuam intimam paupertatem, rogo etiam atque etiam, ut ego pauper spiritu vivam & moriar ab omnibus propter te contemptis mundi rebus, ut te quovis modo imitari valeam, & post hanc vitam frui cœli divitiis, paupertate Spiritus in præsentis sæculo emptis.

§. 202. *Et sedentes servabant eum. v. 36.*

Bene sequitur servabant eum & milites sedentes & alii circumstantes ad crucem: quid tandem moriturus ad tantam tamque injustam ignominiam sibi factam, & tormenta diceret; & quis esset futurus finis tantæ rei. Interea considerabant eiusdem mores, gestus, & verba. Alii quidem ex affectu bono erga ipsum, alii vero ex malo impulsu passionum suarum ita ut in ipsa requie ab utraque parte pateretur, Bonorum videndo dolorem, impiorum vero videndo crudelitatem.

Domine Iesu crucifixe propter hominem, hæream & ego ad crucem tuam cum dolorosa Matre tua & aliis tuis amicis ex pietate & desiderio tui cunctis diebus vitæ meæ observando, intuendo, meditando vitam, passionem & mortem tuam, verba, mores, gestus & doctrinam, quibus rapiat in tui solius amorem, & tandem, mei contemptum, mundi vituperium, vitæ emendationem, cœli desiderium, non sicut hi milites & alii tui adversarii, qui in tui contemptum te observant & sibi perniciem procurant.

§. 203. *Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam. v. 37.*

Videntes Iudæorum principes, & ipse Pilatus præses innocentiam Christi suam vero iniustitiam in hac executione tam horribili, contra Christum, virum innocentem, qui & apud plebem haberetur iustus, propheta Domini, & sanctus ob vitam irreprehensibilem, mores super naturam humanam, & miraculorum multitudinem per ipsum factorum, sapientiam in verbo, & opere, excogitarunt causam executionis & mortis affligere Cruci, ut ea toti mundo pateret, & ea imbueretur, & sic per eam Iudices iniqui excusarentur ab iniustitiæ opinione, & nomine Tyrannidis ac barbaræ crudelitatis vel relatione apud Cæsarem invidiosa. Hinc causam pro non causa ponendam esse censuerunt, & Iudæorum quidem Principes sperabant, quod Pilatus positurus esset Titulum sibi valde favorabilem, ut pote in communi crimine constitutus, nempe *Hic Iesus Nazarenus se: it se Regē Iudæorum contra Cæsarem* (ad quem iure regnum Iudæorum tum temporis specta-

(spectare dignoscatur) *ideoq; ut seditiosum & Casari inimicum, regnumque affectantem iuste esse crucifixum.* Sed longè aliter euenit. delusa est spes impiorum & cogitationem cordis eorum subiannauit Dominus.

Domine Iesu, rex cæli & terræ natus, per hanc principum nequam simulationem & insidias quas tunc es passus rogo te, ut nunquam circumueniam proximum, causam pro non causa ponendo, grassandoue in contumeliam eius vel iniuriam per iniustitiam: sed semper in omni actione mea sim sincerus, prudens, iustus, timens Deum, ne opus habeam palliare quouis modo iniustitiam vel peccata mea coram hominibus: ne quandoque super me & veniat indignatio tua & capiar in laqueo, quem fecerim proximo meo.

§. 204. *Hic est Iesus Rex Iudæorum, v. 37.*

Bene habet: hæc vera est causa ô principes huius exercitæ crudelitatis supplicij & mortis. nam, *vere hic Iesus est, hoc est Saluator* missus à throno Patris in hunc mundum ut eum saluum faceret à peccatis, & duceret in veram saluationem æterni regni sui, quam vos nec acquirere vultis nec eius datotem Regem agnoscere, quia legem & doctrinam docet moribus vestris quidem contrariam, attamen iuxta intelligentiam patriarcharum & prophetarum vestrorum, veram: qui de vobis prophetarunt, quod essetis dicturi: *Occidimus eum quia contrarius est legi, nempe operibus nostris*: Vere tamen hic Iesus Crucifixus Rex est Iudæorum, qui venit tibi iuxta prophetam mansuetus, ut eum agnosceres, honorares, sequeris: sed quia noluisti ô filia Sion, ô Princes Ierusalem, extraneus & Ethnicus eum, quasi prophetando contra vos regem vestrum declarauit, scribens & super caput eius imponens hæc verba. *Hic est Iesus rex Iudæorum*: & noluit scribere sicut ab eo petistis. *Hic dixit, rex sum ego Iudæorum*, in quo Deus nobis aperuit & ostendit mirabile suum consilium, dum ita nouit etiam impiorum consilia ad suam gloriam conuertere, ut inimici eius per socios peccati confundantur. Quid hic ages aut dices Christiane? cui Crox Christi summa dignitas est, certè non parum confortare & consolare triumphali hoc titulo, qui Christo non ad pedes, sed ad caput positus fuit, ad ostendendum regnum eius non humile aut terrenum, sed altum & cæleste. Verissimum enim est & manebit, quod hic Iesus in Bethlehem natus, & in Nazareth educatus, verus Rex à Magis adoratus, muneribus honoratus, Iudæorum rex sit; attestantibus eorum prophetijs Plal. 2. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* Plal. 44. *Tu es ipse rex meus & Deus meus qui mandas salutes Iacob.* Cant. 1. *Introduxit me rex in cellaria sua? Dum esset rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suauitatis.* Isaia. 3.

S

Quis